



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Cap. XV. Montis S. Petri monumenta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

CAPVT XV.

Montis S. Petri monumenta.

ECCLESIAM S. Petri cum monasterio, quam ad Orientem oppidi, mons editus ostendit, sæpè nominare cogimur. Huius consecratio litteris his commendatur:

*Otgarius
Archiepisco-
pus Mogun.
Reginbaldo
Corepiscopus
D.T.*

ANNO DOMINI DCCCVIII. INDICTIONE XV. DEDICATVM EST HOC ORATORIVM IVSSV OTGARIJ ARCHIEPISCOPI A REGINBALDO COREPISCOPO VI. KALEND. OCTOBRIS IN HONOREM BEATORVM APOSTOLORVM, PATRIARCHARVM, PROPHETARVM, MARTYRVM, CONFESSORVM, ATQVE VIRGINVM, ET S. FELICITATIS MATRIS VII. FILIORVM MARTYRVM, S. CONCORDIAE, S. BASILLAE, S. EVTROPIAE, S. CANDIDAE, S. EMERENTIANAE, SS. AQVILAE ET PRISCILLAE, ET S. LEOBAE VIRGINIS.

Ornavit hanc olim basilicam inscriptione versuum suorum Hrabanus.

IN ABSIDE ECCLESIAE S. PETRI, QVAE EST
IN MONTE SITA.

*Ecce sator hominum victor super aethera scandit,
Discipulisque suis regni sacra limina pandit,
Quem sic venturum Angelica hic oracula spondent.
Cætus Apostolicus pariter cum plebe fidelis
Dona Paraleti igne micante capit.*

IN DEXTRO ALTARI.

*Martyribus Christi cunctis hæc ara locata est,
Præcipueque istis, littera quos numerat.*

IN SINISTRO ALTARI.

*Sors Confessorum Christi hanc obtinet aram,
Quos aula cæli possidet atque tenet.*

IN CRYPTA SVBTVS ALTARE PRIMO.

*Hac Baptista potens sacrâ venerabitur arâ,
Hac vatum turba atque patrum colitur.*

ALTARE MEDIO.

*Virgo Dei genitrix hanc aram ritè teneto,
Hanc tecum habeat virgineusque chorus.*

ALTARE TERTIO.

*Hoc altare Dei Michaël Archangelus ornat,
Hocque colunt pariter agmina & Angelica.*



Porro in huius Ecclesiae, mutatâ licet sæpè fabricâ, ab loci tamen incunabulis, nisi fallor, obseruo, solido in saxo venerandas illustrium hominû insculptas imagines. Frontali latere turris exterioris, lapidea tabula verus, operi non antiquo inserta, in quâ ecclestam S. Bonifacij iconographiâ: quæ magnum argumētum habet singulis in partibus veteris amictus Pontificalis, infularum & mitræ. pedumque quod manu gerit, eius haud dissimile est, quod in sacratio asseruatur.

X 2 Verum,

Verum, quia S. Bonifacij effigies iam nobis in oculis, eandem reuerenter habuisse maiores, ex eorum sphragismis, & caractere sigillorum, clucescit. Nam, quæ antiquiora nancisci licuit, in his se Diuo planè supplicem amictu monastico, ipsa offert congregatio. Et S. Bonifacius instar Antistitum priscorum, manus articulum conformat duobus infimis conclusis digitis, ceteros eminentes ad benedicendum porrigens, infesto pollice. Qui gestus, ut veterum oratorum, sic Episcoporum etiam olim fuisse, scitur, confidentium in loco, qui Saluatorium Latinis, ἀσπασινδν Græcis erat, cum populum alloquebatur & benedicebant. Sigillum conuentus maioris Ecclesiæ Fuldensis.

*Episcopi benedicentis gestus. Apuleius Miles. 2. I.S. 4. Propt. eleg. 7. * De Saluatorio, quod & Receptorium, Secretarium, Diaconicon, ad Ioan. Sana-ro in lib. 5. epist. 17. Sidorij.*



At hîc porticus aperitur pro vestibulo templi, cuius turrata fastigia, si non situ, at figuræ modo, satis exprimunt culmen præsentis basilicæ.

Et

Et eiusdem patroni sui sedentis & docentis imaginem Ful-
 da ciuitas piè quondam in Reip. vel communitatis suæ figillo Hodie S. Sim-
 plicium pra-
 ferunt.
 venerabatur:



Quo verò laudum præconio Martyrem & Apostolum af-
 fari soleant maiores, Hymnus docet nuper inter Rhabani poë-
 mata repertus.

HYMNVS IN LAVDEM S. BONIFACII MARTYRIS.

*Inclita Sanctorum cum gloria crescit ubique,
 Et meritum splendor fulget in orbe soli.
 Asia magnificat Iacobum, Ausonia quoque Petrum,
 Joannemque Ephesus, Africa Cyprianum.
 Non minus exultat celebrans Germania laudes
 Et Bonifacii opus martyris almificum.
 Ordinat hunc Roma, mittitque Britannia mater
 Doctorem populis hoc decus Ecclesie.
 Pontificem summum signorum fulmine clarum,
 Eloquio nitidum, moribus egregium.
 Tanta prophetalis quem gratia fulcit honoris,
 Ventura ut multa retulit uti noua.*

X 3

Quem

*Germania
 S. Bonifacio
 martyre &
 apostolo suo
 latatur,*

*Romã sibi
 misit,*

*Miracula
 claro,*

Francorum,
Fresonum,
Saxonum
doctore,

Quem Francus, Fresoque simul, Saxoque ministrum
Æternæ vitæ prædicat esse sibi.

Quamquam Fresonum gens moribus effera semper
Martyris ergo manus sanguine polluerit.

Prædixit Christi sed vox verissima, quod nunc
Cernitur impletum pluribus esse locis.

Quod terrâ moritur frumentum plurima confert
Semina, fructumque multiplicare studet.

Sicque sacerdotis Domini latissima crescit
Paucis ex granis glorificanda seges.

Mortuus ecce modò, viuensque solebat ut antè,
Lucretur Christo agmina multiuaga.

Signa mouent populos, cernunt magnalia cæci,
Surdorumque sonus auribus ipse tonat:

Morborem fugiunt labe, furor impius atri
Dæmonis absistit Martyris ex precibus.

Sicque suum famulum Christus ditauit honore,
Ut regnet cælo, imperet atque solo.

Multorum æternas Dominus dat crescere laudes,
Quos fidei meritum fecerat esse sacros.

Sed meritò Ecclesia laudantur in orbe magistri,
Quos opus & verbum præparat atque fides.

Ergo vir iste Dei spernens mundana, reliquit
Pro Christo cuncta qui meliora daret.

Centuplicemque metens fructum hinc accipit amplum,
Insuper æternam possidet & requiem.

Dignus laude quidem est vitam sine crimine ducens
Qui cui sic metas clauserat & numeros.

Accola iam Domini, sæuum iam vicerat hostem,
Cum Christo regnat accola iam Domini.

Gaudia magna Dei iam intrauit letus, & ille
Inuitat nos ad gaudia magna Dei.

Sanguine nempe suo requiem sibi comparat almam,
Imperat hanc nobis sanguine nempe suo.

Martyrio decorat quicquid Germania nutrit,
Et propriam sobolem martyrio decorat.

O patria, ô populus, tanto ditata patrono,

Post mortem
fidei propa-
gatore,

Miraculis
claro,


Cælo terræque
inicyto, glo-
rioso.

Per quem vita venit, ô patria, ô populus.
 Dignaque quæ fueras, ô terque quaterque beata
 Præsule hocque regi, dignaque quæ fueras.
 Gloria digna Deo talem qui illum dedit esse,
 Quique dedit nobis, gloria digna Deo.
 Gloria magna Deo semper per secula cuncta,
 Dicamus omnes, gloria magna Deo.

Redimus ad S. Petri. Interiore templo, quo vtrimque collocatæ aræ, ex ruinis, vt opinor, antiquæ sedis, duorum Regum statuatæ illatæ, planæ, non eminentes: quæ cornibus altarium abditæ, illic memoriæ causâ occulto parieti adpactæ sunt. Ipse oris & corporis habitus, & geminus propè vestium ornatus, suadet par esse fratrum, quibus incunabula Fuldensis monasterij debentur. Opus sanè peruetus, & maiestate plenum est: quod memoriæ Carolomanni & Pipini, hîc libentes meritò reponimus. Amictus regius seu purpura, non dispar sacro pluuiali; & orbis in manu cruciferus. Additi balthei super tunicâ gemmati; & ab istâ ætate, non inuenusta diademata. Schema alibi gentium haud semel nobis obseruatum. Sed quod manu tenent, diligentius velim sceptrum liligerum adspicias. Habebis, vnde veterum Francorum lilia in clypeis, signis ac veste vsurpata, defendas.

Lilia Fran-
 corum
 Papir. Mas-
 son. lib. 3.
 Annal Fræc.
 reg. in Phi-
 lippo Aug.
 Aubert. Mi-
 ra: Chron.
 ad an. 1422.

Extat



CAROLOMANNVS



PIPPINVS

Bron
 Anti
 Fulda
 S
 6

Extat & hîc,
Conradi Ab-
batis eius no-
minis primi se-
pulchrum, &
epitaphium in
orbe descri-
ptum.



CAPVT XVI.

*Amictus seu habitus veterum Fuldensium
monachorum, victus, & Regula.*

MODESTVS Candidi collega, arte pictor, in perantiquo membraneo codice, habitus prisca lineamenta quædam adumbravit. Ea nos posteros ducimus ignorare non debere: etsi rarus amator iam sit *tristium lacernarum*. sed

O vitam nobis non rustica vestis inesset!

Archimandritæ quidem amictum in Ratgario alicubi expressimus. Hic iam proprium damus cœnobitarum: eumque geminum. alterum, qui tunicato similis cum ependyte, familiarior: alterum, qui togatus & fermè inter diuina, vel ad publica munia sumi consuetus: quem siue Flocum, siue Cucullum, cum Clementinis Extrauag. de statu monachorum, cap. Ne in agro, faciamus, laxum & amplum videmus esse vestimentum, addito capitis tegmine, manicatum, & Cappæ simillimum, quæ hodieq. Transalpinis nostratibus est in vsu. In priore, Colobium siue Lebetonem à tunicâ distinxere maiores; quæ tamquam saga cucullata absque manicis, & ἀχιεῖδονε humeros ambire tantum placuit; quod genus, seu ἡγτανάριον Orientalium monachorum, seu Lebitonarium Isidori, seu denique Analabum, id est Scapulare, interpreteris, in medio hîc relin-
quimus.

Martialis.

Ex Calpurnio.

Smaragd. in cap. 45. Ex-
pos. reg. S.
Benedicti.
Turrecre-
mar. Tract.
121.

Voss. ad
Tom. 2. S. E-
phrem, c. 88.

Y

Prioris